



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Innocentes MM. 28. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

luit. Amorem ejus aquæ multæ non potuerunt extinguere. Magis etiam arsit, cùm oleo Romæ ab igne bullienti immissus fuit. Ajebat summā legis *Amorem esse*. Illud unum in ore habuit: *Filioli diligite alterutrum*. Certè quantum animos dilexerit, argumentū ingens juventæ nescio quis juvenis est. Hunc Ephesum abiturus JOANNES Episcopo unicè commēdaverat, sed pessimo custodi. Ecce adolescens is capitur ab animorum prædonibus (socios hodie malè dicimus) mox ipse corporum etiam latro, mox dux latronum evadir. Subiude JOANNES adest, & pretiosum ab amico depositum exposcit. Amissum ubi audit, graviter fidem malam objurgat, in silvas deinde excurrit (senio alas amore ministrante) visamque prædam tamdiu insequitur, dum lacrimis suis sistit, canisque, & amplexibus impeditam in viam reducit. Ceslit itaque feliciter hæc venatio. Hodie multæ ejuscemodi feræ pereunt, quia retia fugiunt, maluntque ab orco rapi, quām à cælo capi. Ex Bar.

Per B. Ioannis vestigia ad Redemptorem nostrum, pleno cordis amore tendamus: hujus doctrinam velut coruscam lampadem nostris semper gressibus preferamus; pudeat jam terrenis incumbere, qui per spei desiderium ad celestē cœpimus gloriam festinare. P.Dam. serm.2. de S. Joan.

SS. INNOCENTES MM.

28. Decembris.

Mala omnia nunciabat Herodi nuncius à Magis allatus. Quid? mea demum corona erit, quæ duos reges ferat? aut regni mei alienum heredem vivi spectabunt liberi? vivus ego? quin caput illi nunc aufero, ne ille diadema mihi? puram

Dd 2

puram

puram si ambit , domi habet ; suo pingat de sanguine. At ne novi quidem hostem meum. Hoc plus etiam metuo. Certè infans est. Percat hic omnis in regno, ut unus ille pereat. Etiam innocens? jam nocens est, qui hostis est. Sed qui hostis? quia ego hunc timeo. Sed tyrannum dicent. Nimirum vetus hoc Regis nomen est. I, miles, omnes bimulorum cunas everte ; balneum his para cruentum, sed dignum hoste. Hæc ille ; cum interea Angelus parvulum Regem , magnumque exulem in Ægyptum, gloriosa fugâ, deducit. Sæviit nihilominus barbarus mucro. Ubique clades, & funera. Vidiſſes majora vulnera quam corpora, plus lactis fundi quam sanguinis ; hunc saxo, illum capulo frangi ; hunc è gladio, illum ab hastâ pendere , multis teli vicem militis vultum esse. Dedit tamen pœnas tyrannus : morborum enim omnium theatrum factus, eodem anno, cum tot homicidia parricidio insuper maximi natu filii cumulasset, vitâ regnoque excidit, periitque. At prætextata illa turba cælo scilicet vivit, ridetque etiamnum tyrannum, quod talis infantes timuerit. Ex Baron. & Saliano.

Si temporalis & speciosa nos delectat domus, quanto magis spiritualis mansio decora & celestis nostrum sibi debet vendicare affectum? non minus in spiritualibus quam in temporalibus inveniamur cupidi, potissimum cum ista momentanea sint, illæ æternæ. S. Laur. Just. de SS. Innocent.

S. THOMAS EP. M. 29. Decembris.

Non jam primum sanguine piorum rigaris Anglia. Jam olim fuso THOMÆ cruori frustum debebas, nisi eheu ! sterilitatem hærefis induxisset.